



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

47.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

45. Iudices verò seculares secundum  
 ius Cæsareum possunt in lite excedente  
 centum aureos, duos aureos à singulis  
 partib⁹ in principio litis accipere, & duos  
 in fine, per *Authenticam de jud. §. ne autem.*  
*collat. 6.* in lite autem prædictam summam  
 non attingente nihil possunt accipere: ut  
 colligitur ex *L. plebiscita. ff. de offic. præsid.*  
*item. ex L. solent. ff. de officijs Procons.* *Authen:*  
*novo jure C. de pæn. jud. & alijs locis* quibus  
 munera prohibentur & pœnæ statuuntur.  
 Verùm in hoc servari debent consuetudi-  
 nes locorum & leges quæ pro varietate  
 Regionum variæ esse solent. De quibus  
 vide P. Ioan: de Castillo. *l. 2. de just. D. 6.*  
*de restit. dub 4.*

46. Afferimus 3. quemlibet Iudicem  
 posse petere, accipere, expensas, quas fa-  
 cit dum pro munere suo proficiscitur ex-  
 tra domicilium & locum in quo habitat:  
 quia ratio naturalis dictare videtur non  
 teneri Iudicem ad has extraordinarias ex-  
 pensas, quas in aliorum utilitatem fecit.  
 Ita DD. postea referendi.

47. Iudex verò Ecclesiasticus ordina-  
 rius non potest accipere expensas pro iti-  
 nere

nere intra suam jurisdictionem, habet enim beneficium pro officio & fructus pro stipendio. *Excipe* duos casus in jure expressos, in quibus licebit accipere. *Primus* quando Archiepiscopus proficiscitur extra Diocesim ad visitandum provinciam, *cap. cum. Apost. de cens. Secundus* casus est, quando accedit ad consecrandam aliquam Ecclesiam. *cap. cum sit Romana de Simon:* cum enim hic sit extraordinarius labor, merito potuit indulgeri facultas accipiendi expensas moderatas, non habitâ ratione expensarum, quas domi fecisset. *AN* autem Judex Ecclesiasticus delegatus possit expensas accipere, non consentiunt Auctores. *Syl. Angel: Azor. & alij supra* docent delegatum ad specialem causam posse accipere, non autem delegatum ad universitatem causarum. Alii verò cum *Gl. cap. statutum cit. docent* (præcisâ consuetudine) Judicem Ecclesiasticum delegatum non posse expensas accipere, quia sicut non potest eas accipere Ordinarius, ita nec delegatus, & sicut non potest accipere stipendium, ita neque expensas. *Ita Clavis Regia. l. 12. cap. 13. Syl. Azor. Navar. & alij supra.*

48. Quid